

Tanta est tua erga omnes humanitas, Amicorum optime, ut nova indies incrementa suscipere videatur. Sape enim antehac non modo mihi profusus es eximium et singulare tuum studium in omni genere officii, sed etiam omnem operam, curam, industria, cogitationem, mentem denique omnem in amore meo te fixisse ac locasse demonstrasti. Quid novissimas delectiones memorem? Neque me tot tamque varis doctrinae generibus praeditum esse confiteor, ut tua scripta perlectione levans, ea aut emendare, aut tanquam Aristarchus in eis aliqua obelisco notare valeam. Tantum quid de illis sentiam, et num illa in publicum emittere debeas, paucis me hortatus es ut tibi explicarem: in quo certe superare refuses, quod in me adhuc deficere comperi. Quia tamen vicit amor tuus adhortationibus suis, et effecit ut labores tuos gratos et probatos iri credens, consilium tuum probarem et laudarem potius, quam de illis sententiam aliquam proferrem eruditione tua indignam: hoc unum acceptum ut habeas rogo. Tanta tua est in scribendo eruditio, tanta acies iudicii in doctrina, tanta varietas in scientia, ut quod semel tibi placuit edere, ceteris displicere non posse existimem. Tunc simul Lapidem Metallum, et Metalla Planetas, Terram in Coelum, et Coelum in Terram transire demonstras. Coelestium enim virtutum Sympathia producit attractionem, et in haec inferiora deductionem: Antipathia vero resistentiam parit. Ecce quid aliud Magia naturalis, quam unius rei ad alteram deductio et conatione natura producta: Qui profecto rerum universalium Sympathiam et Antipathiam absolutissime noverit, effectus in natura tam admirabiles producere valebit, ut imperitum vulgus eos non aliterquam tenebrarum Principe iuvante fieri potuisse facile sibi persuadeat. Doleo tamen vicem tuam, doleo et tuum marorem, Doleo, inquam, et cum affectu dolere debeo, hanc tuam Sympathiam Speculo Gemmarum in impressione fuisse conjunctam, ac tam firma copula colligatam ex Typographorum avaritia. Licet enim eam supra Lapidum fundamenta edificaveris, et merito illi Camilli Leonardi Speculo accesserit, Sigilla tamen et Imagines apponi non debebant, tanquam res ridicula, pueriles, gerrisque ipsis Siculis vaniores, et quae proculdubio meam probitatem minime recedent. Quamvis enim juris illi Sapientes, ac docti viri, non sine studio magnoque labore eas a Philosophia, naturalisque Magia sylvae excerpserint, ac in vasciculum unum collegerint, non ut Necromantiae ritibus, eiusque impiis ac vanis artibus deservirent. Earum tamen abusus adeo postea molevit, ut quae tunc pura erudita, niveque ipsa candidiora erant, impia nunc, vana, nigroque simillima corvo circulatoribus nescio quibus authoribus circumferantur. Usus ad bonum finem tendens, optimeque digestus laudem meretur: Abusus vero sibi ipsi poena suppliciumque durissimum existit. Apes ex omnium florum genere mel suum conficiunt, non ut inde venena parentur, illens bona, bonum sincerumque animum designat. Impresores equidem haud laudare possum, qui avaritia diotante, librique volumina manus affectantes, bona malis, seria puerilibus, puraque impuris miscuerunt, ut ex foliorum amissione compagine, amplius quoque lucrum facere possent, sprete omnibus admonitionibus adhortationibusque tuis. Nec tamen propterea renuas consolari: mos enim illorum est ubique terrarum notissimus. Scripta igitur tua perlegi, delectabili referta varietate, sed in illis meram probitatem, meram doctrinam, meram bonarum litterarum cognitionem haec